



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Magistri Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, 1613

Cap. 11. De prudentia in recreatione Nouitiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48543)

tio, quod mores non attingit, esse quibusdam officiis prorsus ineptos, adeo ut sine totius communitatis offensione illa exercere non possint. Hos ergo, postquam rem compertam habuerit, ab officiis illis eximat, & ad alia designet.

Cap. 11. De prudentia in recreatione Nouitiorum.

Inter prudentiae actus, laborum intermissio, & aliqua honesta recreatio merito recensetur. Neque de asserto hoc, vlla inter viros Sapientes ac spirituales controuersia oriri potest. Controuersia vero multiplex, de modo concipiendae recreationis emergit, inde (vt credim⁹) rarò admodum inuenire licet at virum, qui varios Religiosorum simul agentium affectus, sine offensione, in vnum laetitiae modum conciliet, ac temperet. Quamobrem Nouitiorum Magister rem hanc meditetur; & ad eam, prout decet, praestandam, se implorata Dei ope coaptet.

² Et primum quidem animaduertat, ad functionem hanc perfecte obeundam,

singularem Dei gratiam, insignem in actionibus decorem, mirum in verbis leporem requiri. Nam, (vt vim diuinæ gratiæ modò fileamus) exploratum est, animos hominum quicumq; illi sint actionum decore, ac sermonis suauitate vehementer affici; vt agrè non ferant, apud eum esse, illumq; dicentem audire, qui gestibus, & verbis auditores delectet.

3 Curet ergo Magister si ad hoc à natura valet, talentum sibi à Domino creditum, satis opportunam occasionem nactus exercere. Quod si natura parùm iucundus, lepidusq; sit, arte vtatur; quæ ad op^o hoc, eximio cum merito, vnde cūq; conquirenda est. Atque hac de causa, spirituales viri, quibus Nouitiorum educatio commissa est, existimant obsequium se præstare Deo, si multam eruditionem, historiasq; auditu iucundas, ex præmeditatione memoriæ mandet, vt Nouitios simul existentes, dicendo exhilarent, atque delectent.

4 Verùm quia bifariam Nouitii à laboribus recreandi sunt, & ordinariè, vt in refo-

reformatis Religionibus fisci cōsuevit, modico tempore quotidie, ad eam rē, designato, & extraordinariē, paucis videlicet aliquot diebus, quibus Nouitij forās animi causa duci solent: æquum erit de vtrisque recreationibus seorsim agere.

5. Ponendum est hic, Magistrum, inter alias præceptiones, debere quoque recreationis meminisse: vt scilicet Nouitios instruat ad vultum hilarem, temperatam scilicet ex grauitate, ac lætitia modestiam. vbiq; præferendam. Sed in recreationis loco, præsertim monebit, non modò omne supercilium, seu luctum, sed omnem quoq; affectatæ deuotionis imaginem esse depellendam; eumq; debere esse perfecti Religiosi vultum, qui statim ac conspicitur, cæteros exhilaret: neque tamen per hoc, leges modestiæ violari, sed custodiri.

6. Hac igitur instructione præmissa, duo præ oculis Magister habere debet in quavis recreatione, sed in quotidiana frequentius, vnum scilicet, vt ea, quæ molestiam parere possent, neque dicat ipse, neque dici patiatur; alterum vt ex

d. 7

rum

ijs, quæ sanctè, siue nõ profanè delectare possunt, ea proferat, faciat ve, seu proferri fierivè iubeat, quæ animos magis oblectent.

7 *Exprima huius consilii bimembris parte efficitur, vt ibi culpæ nullæ corripiendæ sint: importuna quippe valde correptio foret, nisi in euentu aliquo rarissimo, vbi quis immodestus licenter aliquid ageret, vel diceret, cuius tolerantia reliquos fratres ostenderet. At & tunc quàm breuissimè res expedienda est, paucis aliquot verbis grauioribus aduersùm fratrem immodestum prolatis, aut illo inde abire iusso, vt cepta recreatio procurrat. Deducitur etiam ex obseruatione prædicta, vt Magister ibi res dictu, factuq; difficiles iniungere non debeat. Efficitur etiam, vt ibi natio vna præ aliis laudanda non sit. Consequitur præterea, vt exercitia, quæ appellamus Manualia, non ita, (vbi sedetur) præstanda sint, vt Magistro silente, omnes nimium mœstè laborent. Intercalatis quippe iucundis sententiis, vel interrogationibus lætitia labori admiscenda est. Denique multa hic, sed incerta*

Incerta Magistro ocurrent, quæ prudenter prospiciet, an ea sint, quæ displicere possint, illa quoque accuratè vitabit. Lege cap. 7. quar. part.

8 E secūda moniti bimembris parte efficitur, vt bono delectui rerum, quæ iuxta Cœnobiticam disciplinam Nouitios exhilarare possint, studendum sit. Hūc spectat historiarum relatio, vt scilicet, non Magister tantū referat, sed alios, quos id decorè, ac lepide præstare posse nouit, referre iubeat quid auditu iucundum, quo alii recreentur. Hūc spectat facetum quippiam monastica sanctitate conditum: vt si Magister perferiam ab vnoquoque sciscitetur, si in animal irrationale vertendus esset, quale animal eligeret: multa quippe ibi miras simplicitate proferuntur, quæ sine lesione modestiæ risum excitant. Hūc spectat iucunda singulorum interrogatio. Quid scilicet ageret, si rex, aut Summus Pontifex crearetur. Hūc spectat leue aliquod certamē, quis amoris Dei, vel spei actum omnium perfectissimè producat, imaguncula
ali-

aliqua, vel munusculo alio victori proposito. Huc spectat non minus iucunda, quam utilis passionum repræsentatio, ut nempe, Magistro designante, unus hominem iratum, alter hominem timidum, alius hominem audacem, alius tristem, aut aliter affectum gestu repræsentet. Huc spectat lætissimus actus, quo Magister quasi Christus ipse foret, fratrem aliquem gloria immortalis, pro laboribus antea actis coronat, ijs videlicet verbis, & actibus utens, quibus reuera Christum erga animam ex hac vita in cœlum migrantem uti probabiliter censemus. Huc spectat cantus psalmodum, aut piorum carminum quæ animos in cœlum suspirantes mirificè exhilarant, & inflammant. Hæc & similia alia, quæ percensere non possumus, id efficiunt, ut modica illa recreatio sancte castèque suscepta fastidia, si quæ subierint, pellat, animos exhilaret spiritum aliat, & ad grauiiores monasticæ disciplinæ actus vires adaugeat.

9 In extraordinarijs recreationib⁹ Magister veniam dabit, aut si opus fuerit iube-

iubebit, vt Nouitij inter se amāter modesteque verba faciant . Vt genus aliquod honesti ludi, puta lapidum iactus ad aliquam metam , vel alium similem actum, vel coniuncti omnes, vel in numeros discreti exercean . Vt simul omnes, aut bini, terni, vel vt fors tulerit, alio numero sociati canant . Vt per hortum, villamve, in quam accesserint, deambulent. Vt martyria varia, quæ legitimissimum , & utilissimum spectaculum exhibēt, alio exempli gratia tyrannum, alio carnificem, alio martyrem siue personas alias agente , productis varijs fidei, spei, amoris, & aliarum virtutum actibus repræsentent. Hæc ergo & alia similia Magister obseruabit, vt discipulos salubriter recreet.

10. Leta verò exercitia hæc, præter multiplicem spiritus, & corporis utilitatem, id præstant Magistro vt dum discipulos liberiùs pro suo vnumquemq; ingenio agere finit, quis, quisque sit, facile perspiciat. Nusquam enim tam facile ingenium cuiusque exploratur, quàm vb naturæ laxantur habenæ, & quod placeat, quisque exequi finitur. At ob rationes

nes

nes multas status monastici proprias, cum quid indecorum Nouitij in ijs occasionibus admittunt, in subsequentium dierum exhortationibus Magister illum admoneat, vt ipse corrigatur, & tam ipse, quam alij similia mala præcaueant. Quin etiam, ante solenniorum recreationum dies, fratribus omnibus modestiæ decorem commendat, vt sanctius recreentur. Adhuc enim ea admonitione præmissa, libertatis occasio ad ingeniorum & morum inspectionem, satis luci afferre solet.

*Cap. 12. De prudentia ad perfectionem
Nouitiorum promouendam.*

Ille sanè prudentissimus Nouitiorum Magister existimandus est, qui nouit excogitare, & exequi media ad discipulos breui perficiendos opportuna. Hic autem non agimus de medijs illis proculdubio probatissimis, quæ votorum, Regulæ, Constitutionū, & Instructionū obseruatione continentur. Ea quippe media in laxis quoque Religionibus præscripta